

dere etiam viderentur probati Oratoris mores ejusque paupertas, necnon penuria Sacerdotum in dioecesi, unde utilissimum illi censetur Ecclesiae officium cooperantis curati, quo ipse fungitur. Accedit testimonium magistri Caeremoniarum, ex quo eruitur Oratoris defectum impedimentum non afferre, quominus decenter et sine populi scandalo et admiratione Missae Caeremonias peragere queat. Nec praeterea denique Episcopi commendatio.

Sacra Congregatio etc. rescripsit: *Pro gratia dispensationis et habilitationis juxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo.*

Die 26. Jan. 1861.

(Anal. J. P. 1863 p. 2287.)

*Januen. Dispensationis.*

Decurrentis anni die 31. mensis Martii Sacerdos Joannes Augustinus Raggio loci N. in dioecesi Januensi parochus a celebrationi Missae propter irregularitatem e gravi morbo contractam praepeditus, ad rehabilitationem obtinendam S. hanc Congregationem adiit, instantissimas deferens preces, in quibus exponit: „Depuis quelques années il souffre par intervalles aux articulations des jambes: cette indisposition fait que présentement en célébrant la sainte messe il ne pourrait pas de tourner complètement vers le peuple ni faire une profonde genuflexion, mais seulement l'indiquer en pliant un peu le genou, en retirant le pied et en inclinant la tête et les épaules. Il doit s'appuyer sur des béquilles, mais arrivé à l'autel, il s'en défait et peut se passer de tout appui. Le recourant est curé, mais il n'a aucune autre ressource que sa cure, qui constitue son titre. La paroisse est dans un petit hameau, tous les fidèles des environs savent qu'il est

malade. Un vicarie fait tout ce que le curé ne peut faire en personne; mais il a besoin de dire au moins la messe basse, car sans cela le vicarie absorbera presque toutes les ressources. C'est pourquoi Mgr l'archevêque a conseillé au recourant de faire connaître sa position avec tous les détails.“

Cum acceptis hisce precibus ad Januensem Archiepiscopum scriptum fuisset pro informatione et voto, utque peracto experimento referret de natura infirmitatis et an praebat impedimentum in explendis SS. Caeremoniis, de vera habilitationis necessitate, annuo reddito et oneribus beneficii parochialis, comprehensis incertis utriusque stolae, mandatis obsequens Sac. Congr. vicarius generalis pro Archiepiscopo a dioecesi absente omnia, quae ab Oratore in precibus exposita sunt circa modum, quo Missam celebrare potest, experimento coram magistro Caeremoniarum peracto, confirmat et inde subjungit: „De natura morbi aliquid dicere arduum est; confidit orator; at omnes desperant ejus valetudinem confirmari posse, quippe veteri morbo et propecta aetate laborantis. Reditus beneficii parochialis comprehensis incertis utriusque stolae computari potest, prout mihi ex diligenti informatione refertur, ad annuas libellas 905., in hac tamen summa habita non est ratio eleemosynae Missarum.“ De oneribus beneficii et vera habilitationis necessitate in literis nihil habet idem vicarius, sui tamen animi votum ita manifestat. „Quoad ea, quae Orator exostulat, attentis verbis magistri Caeremoniarum, videtur concedi eidem posse petita rehabilitatio pro celebratione Missae iis horis, quibus deest in Ecclesia populi frequentia.“

Veram irregularitatem in casu adesse difficili probatione demonstran-

dum haud est, cum ex sola rerum expositione, quae in precibus parochi Raggio continetur, nemo non viderit applicandum his esse *cap.: Presbyterum, de Clerico aegrotante*, quo universim irregularis dicitur, qui non secure propter debilitatem vel non sine scandalo propter deformitatem ministrare potest. In specie autem Glossa in *cap.: Nullus Episcopus de consecrat. dist. I. et Barbosa de Off. et potest. Episc. part. II. alleg. 42., n. 40.*, licet generatim claudos irregulares non pronuncient, id tamen affirmant de iis, qui sine baculo ad altare accedere nequeunt. Jam vero fatendum certo est, infirmitatem, qua Orator laborat, gravem omnino esse, cum non solum baculo indigeat, sed non nisi scipionibus innixus ad altare ascendat, ubi sacras vestes induit ibique Missam incipit; difficiliter et non totaliter se ad populum convertat et genuflexionum tantummodo signum praebat, caput dimittens et dexterum movens pedem; nullaque spes affulgeat ut Orator aliquando in melius convalescat.

Altamen similibus in casibus Oratores apud H. S. C. pro dispensatione ab irregularitate instantes nonnunquam voti compotes facti sunt. Ita iis ultimis temporibus in Cathacen. 17. Decb. 1859 inter supplices libellos relata favorable retulit responsum Sacerdos Scalzo Dominicus, quem adeo cruribus esse praepeditum referebat Episcopus, ut non nisi manu super humerum assistentis posita ad infimum altaris gradum genuflectere valeret aliosque gradus claudicans ascenderet ac descenderet; genuflexiones sui que corporis circulos haud convenienter exequeretur, ita ut deformitas illius, licet divinis nullum praerberet impedimentum, tamen populo magnae esset admirationi. Et ante jam Sac. Congr. pari benignitate usa fuerat in Asculana 20. Febr. 1808 erga Clericum Emilium

Sallusti propter renium debilitatem claudicantem et de quo testabatur Episcopus, quod impar esset perfectae genuflexioni faciendae quam vix genu sinistro signabat et ad aliud genu prius submittendum vel duo genua simul flectenda alterius auxilio indigeret. Fatendum equidem est ex una parte, quod hi Oratores ambo non ita gravi prae parochi Raggio infirmitate delinebantur, sed ex altera ad hujus preces benigne excipiendas majora viderentur occurrere motiva, cum in casu neque agatur de promovendo, ut in citata Asculana, sed de jam promotum, quem Sacra Congregatio benigniori semper indulgentia audire consuevit, quemadmodum statutum legimus in una Burgi S. Sepulcri 18. Septb. 1824 ap. Gamberini; et praesertim formiter discusso articulo in Comen. Dispensationis 8. April. 1775 et 22. Jun. 1776; nec de simplici quidem Sacerdote, veluti in supra allegata Cathacen., sed de animarum curam exercente, in quod H. S. C. nonnunquam attendit, ceu patet ex eadem Burgi s. Sepulchri. Cum utrisque in commune habet Orator quod summa prematur egestate; reditus enim beneficii parochialis, quod obtinet titulo etiam patrimonii ecclesiastici, comprehensis incertis utriusque stolae, exclusis vero Missarum eleemosynis in annuis libellis 905. consistunt. Ab hac autem summa vix deduci potest necessaria retributio elargienda capellano, qui, Archiepiscopo consentiente, in quibusdam officiis parochialibus vices agit infirmi parochi; minime vero desumi valeret, quod opus esset ad sustentandum praeter ipsum parochum alium Sacerdotem, qui eidem, si dispensatio denegatur, non in quibusdam tantum officiis, sed et in celebratione Missarum supplere deberet, quod sane in grave praerudicium Oratoris redundaret.



Propitio suffragio, ut jam retuli, Vicarius generalis parochi precibus favet, dummodo tamen Missae celebratio iis horis peragatur, quibus populi frequentia in Ecclesia desit. Si ergo ex hucusque allatis Eminentissimis Vestris visum fuerit, indulgendum esse Oratori, illud etiam sapientia vestra prospiciendum erit, utrum una vel altera ex consuetis limitationibus dispensationi adjicienda sit, qua irreverentiae periculum in sacris peragendis prorsus absit et quaevis admiratio populi removeatur. Non raro Sacra Congregatio praecipit, ut dispensatus vel in oratorio privato celebret vel etiam in publica Ecclesia, hora tamen minus a populo frequentata; in casu vero praecipua irregularitatis nota recederet, quoties Orator a sacro faciendo abstineret in altari, in quo Augustissimum Eucharistiae Sacramentum adservatur.

Quare etc.

Sacra Congregatio etc. rescripsit: „Pro gratia dispensationis, dummodo celebret in oratorio privato vel in Ecclesia hora tamen a populo minus frequentata et cum assistentia alterius Presbyteri vel saltem diaconi, facto verbo cum SSm.

Die 29. Nov. 1862.

(Anal. J. P. 1863 p. 2290.)

Comen.

Clericus Petrus Sertorius tonsura insignitus, casuali ac repetina pulveris tormentarii accensione adeo graviter in dextera manu laesus fuit, ut ejusdem liberum in parte inferiori usum ac exercitium amiserit, unice salvis et incolumibus superstitibus digitis indice et pollice ac superiori ejusdem manus parte, quibus libere et prompte utitur, ex hoc innoxio casu id evenit, ut non valeat patenam post hostiae consecrationem in Missae

celebratione tractare, nisi vel contra praescriptum rubricarum utatur vel laeva manu vel pollice et indice dexteræ post consecrationem non sejungendis.

Idem innoxius casus non eum ab ecclesiasticis studiis ecclesiaeque servitio retraxit, sed imo in iis adeo profecit et vitae ecclesiasticae disciplina bonisque moribus adeo exemplo semper fuit, ut nuper vacata Ecclesia vice-parochiali loci Vetiae in plebe Lugani ditionis Helvetiorum ad eam electus fuerit unanimi voto populi, ad quem electionis jus spectat. Hinc idem Clericus Petrus humillimas preces porrexit pro dispensatione ab irregularitate ex dicto defectu contracta, ut ad Presbyteratum promoveri queat, dictamque parochiam assequi possit.

Auditus Episcopus Comen.; is retulit: „Facto coram magistro Caeremoniarum experimento, ex eo constitit Sacras operationes in Missa peragendas usu dexteræ manus sive ante sive post consecrationem exacte ab ipso peragi, excepto quod post sacrae hostiae consecrationem sacram patenam tractare non valet, nisi contra sacrarum rubricarum praescriptum indicem pollicemque sejungat vel ad ejusdem patenae tractationem laeva manu utatur. Dexteram manum laeam et partim detruncatam tam in prophanis quam ecclesiasticis operationibus ea arte tractat et exhibet, ut parte inferiori laesa ad pectus conversa, superior tantum pars incolumis ad oculum exhibeatur nullamque propterea nisi curiose investigantibus exhibet patentem deformitatem, nec ullum scandalum generat aut ullum impedimentum praeter praedictum divinis praestat.“

Testatur idem Episcopus: „Inculpabile factum, quod dictae manus partem abstulit, eundem Oratorem ab ecclesiasticis studiis et ab Ecclesiae

servitio non avocavit“; ac concludit: „Ecclesiasticae disciplinae studium, probati mores, congrua rerum ecclesiasticarum scientia postulatae dispensationis gratiam eidem promerentur, quae in spirituale bonum populi deprecantis praedictum clericum in parochum erit cessura.“ Nunc itaque idem Clericus preces renovat pro dicta dispensatione obtinenda.

Inquit enim defectum non ex culpato sed ex casuali infortunio obvenisse. Se jam tunc clericali tonsura fuisse insignitum, postea vero tum ecclesiasticis studiis tum Ecclesiae servitio semper incubuisse. Nunc vero unanimi voto optari in vice-parochum loci Vetiae jamque nominationem a populo habuisse hancque ipsam ab Episcopo commendari ac probari. Omnia itaque aequitatis principia suadere, ut petita dispensatio sibi largiatur, praesertim cum defectus ille nullam deformitatem nullumque scandalum generet nec impedimento sit, quominus sacrum integre impleatur ac celebretur.

De irregularitate ob defectum digitorum literalis est textus in cap. Presbyt. 2. de Cler. aegrotant. et debilit. ibi: „Presbyterum, cujus duos digitos cum medietate palmae a praedone abscissos significasti, Missam non permittimus celebrare, quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus.“ Hinc Sac. Congr. irregularem dixit Sacerdotem, cui duo digiti manus sinistrae deerant in Baren. 16. Dec. 1673 et in Aquilana 26. Feb. 1763, item alium Sacerdotem, cui digitus pollex in manu dextera abscissus fuerat in Noviom. 11. Sept. 1726, et demum alium pollice in sinistra manu carentem in Cadurcen. 14. Jan. 1663 lib. decr. 28. p. 3.

Verum enimvero, ubi res fuit de casuali defectu et de Sacerdote jam

promoto non semel sed pluries Sac. Congr. dispensationem indulsit. Exemplum est in dictis Cadurcen. 14. Jan. 1663 et Baren. 16. Dec. 1673 et praesertim in Mutinen. 24. Maii 1734, in qua Sacerdoti tribus digitis carenti pollice, indice et medio fuit dispensatio concessa, ea tamen lege ut tantum in oratorio privato vel in publica Ecclesia hora tamen a populo minus frequentata celebraret. Et in Sumogitien. 15. Maii 1738, in qua Vicario Curato, cui unice superfuerat digitus pollex, indulta fuit dispensatio, ita tamen ut celebraret in Ecclesiis minus frequentatis. Et in Aquilana 26. Febr. 1763, in qua eadem dispensatio indulta fuit Sacerdoti, cui in laeva manu pollex indexque casu defuerat. Haec tamen in Sacerdote jam promoti locum sibi vindicant. Nunc vero res est de simplici Clerico dispensationem petente, ut ad sacrum Presbyteratus ordinem et ad exercitium curae promoveri valeat. Perpendendum hinc an saltem vel necessitas vel utilitas vel aequitas petitam dispensationem exigant, dum res est de Clerico jam nominato ad parochialem Ecclesiam, unanimi voto parochianis exoptato bonisque moribus ac ecclesiasticae vitae disciplina praedito, ab Episcopo quam maxime commendato: et demum res est de exercitio Curae animarum habendo in loco Vetiae ditionis Helvetiae.

Emi Patres qua ornantur juris Sacri peritia ac aequitate et Clementia dignentur responsum dare:

An sit locus dispensationi in casu?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 8. Apr. et 6. Maii 1775 et 22. Junii 1766.

Treviren.

Ex improvisso ictu decidit mallei cujusdam Fabri Ferrari Sacerdos Joannes Baptista Juvant talem passus est laesio-



nem in dextera manu, ut non solum partem pollicis et indicis, sed etiam extremitatem digiti medii amiserit. Hac de re arcetur a celebratione Missae et interdicitur, quominus gerat munus Vicarii Curati, quod variis in locis laudabiliter exercuit. Cum tamen ope digiti medii et articulo pollicis possit sine deformitate aut periculo sacram Hostiam tenere ac frangere et calicem contrectare, supplex idcirco dispensationem ab irregularitate implorat, ut et Missam celebrare et Sacramenta administrare valeat aliaque omnia exequi, quae parochi officium concernunt. Hanc autem dispensationem, quo facilius assequatur, facultatem postulat utendi in rebus divinis peragendis auxilio sinistrae manus, quatenus cum dextera in aliquo deficere comperiat. Exponit extremam, in qua reperitur, egestatem, ita ut non habeat unde vivere nec matri viduae ac senio confectae, nec fratri et sorori possit alimenta praebere. Unum quidem possidet beneficium, cuius titulo ad sacras Ordines fuit promotus, sed illius redditus vix pares sunt pro satisfactione oneris Missarum, quibus gravatur.

Decem testes sacerdotali caractere insigniti et in ecclesiastica dignitate constituti Oratoris paupertatem confirmant ejusque mores pietatem, zelum animarum aliasque virtutes summopere extollunt, addentes ipsum *digito medio et permanente pollicis articulo sine ulla notabili deformitate s. Hostiam firmiter tenere, immo et facile frangere, necnon calicem sustinere et atollere, salutem per verba „Dominus vobiscum“ ad populum conversus, benedictionem ipsa manu dextera in fine Missae impertiri, manus expensas habere, caeteras quoque tum benedictiones tum caeremonias in decursu SSmi Sacrificii fieri solitas, absque scandali horrorisve periculo facere et adimplere possit et valeat,*

*praehabitis diligenti et riguroso examine, necnon iteratis exercitiis comperitum se habere et in anima sua jurare posse.* Officialis vero Treverensis facta experimento coram caeremoniarum Magistro retulit, Oratorem absque indecentia et sine scandalo calicem et s. Hostiam elevare ipsamque frangere, adeoque existimat, quod *ipsi petita dispensatio Missae Sacrificium aliaque Sacramenta administrandi et respective celebrandi, excepta tamen ob deformitatem manus distributione s. Communionis, gratiose concedi possit, praesertim cum supplicans valde tenue beneficium possideat, ratione cuius omni hebdomada quatuor Missas celebrare tenetur.*

Divino praecepto in veteri testamento corpore vitati a sacerdotali officio arcebantur. Siquidem *Levit. 21. vers. 18 et 19.* habetur, quod Dominus sic ad Moysen locutus est: *Loquere ad Aaron. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo nec accedat ad ministerium ejus, si caecus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso, si stracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, si hesniosus.* Verum cum morte Christi praecepta omnia caeremonialia finem habuerint, idcirco haec quoque lex desiit obligare et in ipso Ecclesiae initio, non attento an promovendi ad Sacerdotium vel Episcopatum aliquo corporis vitio obnoxii essent, solum quaerebatur, quod apti fuerint ad Sanctuarii ministerium ac virtutibus pollerent, et omnibus qualitatibus, quibus verbo et exemplo praeesse possent gregi ipsorum curae commisso. *Tomasin. de vet. et nov. Eccles. discipl. part. 2. lib. 1. cap. 78. a num. 2 ad 6. et in Can. 76.,* qui appellatur Apostolorum, habetur: *Si quis vel oculo*

*orbatus vel faemore oblaesus, Episcopatu autem dignus sit, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, sed animae inquinatio.*

Quidquid tamen sit de veteri Ecclesiae disciplina, certum est ex pluribus Summorum Pontificum responsis comperitum hodie fieri ab altaris ministerio arceri, qui aliquo corporis vitio laborant, etenim in cap. *Illiteratos dist. 36.* sic decernitur: *Illiteratos aut aliqua parte corporis vitiatos vel imminutos nullus praesumat ad Clericatus Ordinem promovere. Et in cap. Presbyterum I. de Clerico aegrotante* sancitum legitur: *Presbyterum, cujus duos digitos cum medietate palmae abscissos significasti, Missam non permittas celebrare, quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus. Ipsum autem caeteris officiis sacerdotalibus fungi minime prohibemus.*

Verum si defectus talis sit, ut non impediatur, quominus Sacerdos Missam celebrare valeat nec scandalum generet aut deformitatem, tunc celebratio permittitur et dispensatio indulgeretur. *In cap. de Presbytero I. de corpore vitatis* agebatur de Presbytero, qui in duello partem digiti amiserat, et requisitus Alexander III., an dictus Presbyter posset in suo Ordine ministrare, respondit: *De Presbytero Campaniae, qui duellum sponte obtulit et oblatum suscepit et in eo partem digiti amisit, respondemus, quod cum ipse non perdiderit tantum de digito, quin sine scandalo possit sollemniter celebrare, satis potes post peractam poenitentiam cum eo misericorditer agere et permittere in suo Ordine ministrare, licet ejus excessus gravis admodum extitisse.*

Et in cap. *Thomas eod. tit.* cum quidam Monachus ex percussione cujusdam Barrae ferreae pollicis ungu-

lam amisisset et dispensationem postulasset, ut ad sacros Ordines promoveri posset, Honorius III. respondit: *Thomas monachus proposuit, quod cum in annis puerilibus esset constitutus quaedam Barra ferrea super dexterae suae pollicem fortuito casu cadens unguam avulsit ab eo.*

*Quodcirca mandamus, quatenus si ad frangendum Eucharistiam sit in pollice ipso potens et aliud Canonicum non obsistat, propter deformitatem hujusmodi non dimittas, quin eum ad Ordinem promoveas Sacerdotis.*

Plura juxta rerum circumstantias prostant dispensationum exempla. Cum Regulari, cui ob morbum manus erat impedita, dispensatum fuisse, ut celebraret cum assistentia alterius Sacerdotis, refert *Henriq. lib. 14. cap. 8. num. 4. lit. Q. et Lean. Opera moral. part. 5. tract. 2. de Irregul. quaest. 89.,* qui ulterius *quaest. 90.* subdit, romanum Pontificem dispensare posse cum Sacerdote carente utraque manu, ita tamen ut per manum alterius Sacerdotis Hostiam elevet, frangat et summat. In *Cusentina* Sacerdos quidam amiserat flexibilitatem brachii dexteri nec illud elevare, nec signo Crucis se signare poterat, nisi intercedente distantia unius circiter palmi a fronte, a pectore, ab unoquoque humero et ab ore, nec in celebratione Missae sacram Hostiam et Sanguinem sumere poterat. Postulavit itaque dispensationem, ut ope brachii et manus sinistrae Missam celebrare posset, propositisque dubiis: I. *An Sacerdos sit irregularis in casu etc.?* II. *An eidem sit concedenda dispensatio, ut Missam celebrare possit in casu etc.?* *responsum fuit die 13. Julii 1725 ad I.: Affirmative; ad II.: Arbitrio novi Archiepiscopi.* Similiter in *Placentina* relata inter supplices libellos *die 1. Februarii 1766* concessa fuit



dispensatio cuidam Sacerdoti, qui ex accepto vulnere in brachio dextero nec sacram Hostiam elevare potest nec calicem ori admovere nec pectus percutere cum diceret: *Domine, non sum dignus; lib. 116. decret. pag. 50.* Ac demum in *Lunen. Sarzanen.* Sacerdos Thomas Bianchi ex apopleptico morbo non poterat calicem sumere nec manum ori adnotam tenere, nisi pollicem ab indice disjungeret. Petiit proinde dispensationem, ut in celebratione Missae ope sinistrae manus uti posset, quam quidem dispensationem concessit S. Congr. die 26. Aug. 1769 et Sanctissimus die 28. ejusdem mensis adprobavit; *lib. 119. decret. pag. 243.*

Verum in *Abellien. irregularitatis*, cum ageretur de Sacerdote, qui apoplepsi correptus nec laeva manu uti poterat in sumptione calicis nec illum attollere ad ea verba: „*Omnis honor et gloria*“, nec Hostiam super eum frangere, S. Congr. die 28. Jul. 1770 dispensationem denegavit. Praeterea in *Augustana Irregularitatis* Sacerdos et Parochus Josephus Frenk ob subortam ex Chirurghi imperitia in sinistra manu inflammationem istius digitos amiserat. Postulavit itaque facultatem celebrandi cum digitis argenteis, quibus affabre elaboratis et ab Episcopo consecratis ritus omnes et caeremonias, ipsam quoque Hostiae elevationem et fractionem, absque ullo incommodo, periculo aut dedecore peragere posse dixit.

Verum cum quaesitum fuisset die 19. Decembris 1772: *An sit locus dispensationi in casu etc.?* prodiit resolutio: *Negative.*

Notandum tamen in praesenti casu, quod Sacerdos Orator non solum dispensationem postulat, ut Missam celebrare, sed etiam ut munus Viceparochi exercere valeat. Quatenus ergo dispensationem pro celebratione Missae indulgendam esse EE. PP. existima-

verint, rogantur perpendere, an etiam pro hujusmodi exercitio possit indulgeri. Porro laborantibus aliquo corporis vitio illorum Ordinum et functionum permittitur exercitium, quae absque scandalo et periculo peragi possunt. *Tomassin. de vet. et nov. Eccl. discipl. part. 2. lib. 1. cap. 83. num. 8., Ferrar. in Biblioth. verb. Irregularitatis art. 1. in nov. addit. num. 8., et patet ex relato cap. Presbyterum 1. de Cleric. aegrotan.;* in quo cum Pontifex arcendum propter deformitatem et scandalum decrevisset, Sacerdotem a celebratione Missae, tamen dicit: „*ipsum autem caeteris Officiis sacerdotalibus fungi minime prohibemus.*

Perpensis itaque circumstantiis judicandum erit:

*An et quomodo sit locus dispensationi in casu?*

S. C. resp.: Pro gratia arbitrio et conscientiae Ordinarii facto verbo cum Sanctissimo.

Die 22. Jan. et 26. Febr. 1774.

#### Malacitana.

Violento convulsionum morbo adeo in laeva corporis parte laesus fuit Simon Serranus in undecimo aetatis anno, ut paulisper claudicet duosque manus sinistrae digitos, medium et anulare, rigidos inflexibilesque habeat. Clericali militiae dein ab Episcopo adscriptus ac etiam ad Capellaniam laicalem suae familiae nominatus petiit ab hac S. Congreg. saltem se dispensari, ut ad sacros ordines ac ad presbyteratum promoveri queat.

Adito Episcopo pro hoc valetudinario retulit Vicarius Generalis: „*Praedictum Simonem altero tantum pede captum claudicare: Manus vero sinistrae digitos medium et anulare rigidos esse nec liberi usus tenaces,*

unde nec missalia folia, nisi dextera manu faciat vel omnino comprimat atque corrugat, vertere potest, nec vittas sericas, quibus facilius notantur atque voluntur chartae, prae digitorum debilitate tractare, nec demum patenam ita elevare, ut ad imum labrum extremamque menti partem accedat, sed supra pectus vel prope collum consistat: caeteras autem praecipuasque caeremonias, quarum defectus scandalum in populo generare posset, penitus apud illum esse intuto, nec ullum divinis mysteriis religiose reverenterque conficiendis grave praeter dicta impedimentum apponi. Quamobrem mea quidem sententia certum est, nisi dicta absint, Emis Patribus nihil insuper obfuturum quominus Oratoris ejusdem petitioni, si placitum erit, benigne respondeant et acquiescant.“

Nunc ideo preces renovat pro dispensatione. Inquit: non culpa, sed morbi vi duo sibi obesse, alterum quod claudicet, alterum quod digitos anularem et medium manus sinistrae rigidos ac inflexibiles habeat, ex neutro irregularitatem induci. Quod ad primum attinet, non claudicare cum gravi deformitate vel scandalo nec baculo aut auxilio egere, sed tantum levissime in sinistro pede, ut nec deformitas exurgat nihilque obsit altaris Ministerio ac Caeremoniarum omnium implemento. Ex hoc itaque defectu nullam irregularitatis notam induci, *cap. 9. si quis in infirmitate dist. 55., Barbos. de Officio et potest. Episcop. part. 2. alleg. 1. num. 40.*

Minusque eam induci ex defectu digitorum. Non rem esse de digitis indice vel pollice pro consecratione necessariis, sed de aliis medio et anulari, quorum in consecratione nullus est usus. Nec obesse, quod post consecrationem folia volvere nequeat, nec patenam ad imum labri accedere. Folia

quippe vel manu dextera vel ipsorum compressione recte absque deformitate volvere posse; patenam vero si non ad imum labri vel menti, saltem supra pectus et prope collum accedere posse. Recte ideo omnia saltem per aequipollens absque ulla deformitate et scandalo integre exerceri agique insuper non de praecipuis ac necessariis sed de extrinsecis caeremoniis, in quibus nec rigide inquirendum est nihilque vetat, quominus per aequipollens impleantur.

Hinc saltem postulat sibi dispensationem indulgeri. Dum enim nulla deformitas nullumque scandalum est, dum nihil ex substantialibus ac praecipuis caeremoniis deest, dumque omnia integre recteque impleri valent, commiserandam esse irregularitatem ex morbi vi et solo defectu proveniente sibi benigne largiendam esse dispensationem, ut ad sacros Ordines promoveri et obtentae capellaniae onera implere valeat.

Irregularitas alia ex delicto, alia ex defectu sive animi sive corporis profluit. Irregulares sunt ex defectu corporis, qui ita sunt corpore vitiati, ut vel nequeant ordinis ministeria exercere vel non nisi cum deformitate et scandalo, *cap. Illiteratos dist. 36., cap. Presbyterum et cap. Tua nos de Cleric. aegrot.* Sic irregularis est, qui fuit aliqua manu mutilatus, *cap. Exposuisti 6. de corp. vitiat.: Presbyter, cui medietas palmae cum duobus digitis fuit abscissa, cap. Presbyterum de Cleric. aegrot. deformiter Gibbosus, cap. Hinc etenim vers. Gibbosus dist. 49.* Claudus nequies sine pede ligneo vel sine baculo incedere, *can. Nullus Episcopus de consecr. dist. 1.: oculo orbatus sive cui oculos erutus est si absque notabili deformitate Canonem legere nequeat, can. Si evangelica 13. dist. 65., et omnes notabiliter impediti aliquo usu membrorum*



d. cap. Si evangelica, et tot. tit. de corp. vitiat. Sin vero talis sit corporalis defectus, qui neque notabilem deformitatem contineat, nec scandalum in celebratione causet, neque exercitium celebrationis impediatur, nulla irregularitas est. Hinc Alexander III. in cap. 1. de corpore vitiat. inquit: „Respondemus, quod cum ipse non perdidit tantum de digito, quod sine scandalo possit solemniter celebrare, satis potes permittere ipsum in suo ordine ministrare“; et de Clerico promovendo, cui super dexteræ pollice fortuito casu avulsa fuerat ungula in cap. 7. eodem: „Mandamus quatenus si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens et aliud Canonicum non obsistat, propter deformitatem huiusmodi non dimittas, quin eum ad Ordinem promoveas Sacerdotis.“

Ponderandum ideo an defectus Simonis vel exercitium ordinis impediant vel deformitatem ac scandalum generent. Claudus est, sed levissime, ut refert Vicarius Generalis. Digitos inflexibiles ac rigidos habet, sed vel ope manus dexteræ vel foliorum compressione potest Missalis folia vertere et patenam saltem supra pectus et prope collum accedere.

Verum hic non mos est de Sacerdote jam promoti, sed de promovendo. S. Congr. in una Consentina 13. Julii 1725 Sacerdoti jam promoti, qui casualem in brachio dextero passus fuerat laesionem, ut sacram Hostiam et Sanguinem sumere non posset cum manu dextera, indulisit arbitrio Ordinarii dispensationem, ut Eucharistiam ope manus sinistrae sumeret.

Quid consulendum in casu sit decernant Emi Patres.

Proponitur:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu?

S. C. resp.: Consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad cauthelam. Die 6. Maii et 17. Junii 1775.

### 23) Missam imperfectam relinquens.

Vd.: *Missam interrupta; Parasceve* (missa interrupta).

Juvenacen.

Sacerdos Joseph Ronca eum pridie nonas Septembris proxime elapsi in Ecclesia Fratrum Ordinis Minorum s. Francisci de Observantia oppidi Terlitii Missam inchoasset, multis, qui dicta die utpote dominica Sacrum audituri convenerant, adstantibus, post factam Hostiae oblationem, repertis urceolis vino vacuis, et ministro hac et illac frustra discurrente, ut vinum inveniret, post lapsum circiter horæ quadrantem, toedio affectus ab altari discessit, seque eadem die contulit ad celebrandum in Ecclesia Collegiata dictae Terrae, perque plures insequentes dies a sacrificio Missae non abstinuit, donec monitus ab Episcopo de incurso in suspensionem contentam in Can.: *Nullus Episcopus de Consecrat. distinct. 1.* et consequenter in irregularitatem, eo quia suspensionis vinculo obstrictus celebrare non desierit, supplicem Sacrae huius Congregationi porrexit libellum, quo opportunam absolutionem atque dispensationem humillime postulavit.

At ejus precibus in superiori consensu inter summaria relatis, cum fuerit excitata quaestio, num reipsa Orator poenam suspensionis inciderit, proindeque per obsecratam celebrationem contraxerit irregularitatem, ut id maturiori iudicio definiretur, jusserunt EE. VV., causam describi in folio.

Duo ad hanc rem pertinent textus; alter est in Can.: *Nihil* 7. quaest. 1. desumptus ex Concilio Toletano VII. cap. 2., cujus verba sunt haec: „Nihil

contra ordinis statutum temeritatis ausu praesumatur, neque illa, quae summa veneratione censentur vel minimo praesumptionis actu solvantur; cum ad hoc tantum fieri jussa sunt, ne interrupta noscantur vel languoris proventu robore salutis privetur natura. Non ergo fragilitati solum consulitur humanae, sed etiam sacro honori mysteriorum Dei provida cavetur sollicitudine. Censuimus ergo convenire, ut, cum a Sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si aegritudinis acciderit quilibet eventus, quo caeptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo vel Presbytero alteri consecrationem exequi officii caepti etc. Ne tamen, quod naturae languoris causa consulitur in praesumptionis perniciem convertatur etc., nullus absque proventu patenti molestiae minister vel Sacerdos, cum caeperit, imperfecta officia praesumat omnino relinquere. Siquis haec temerare praesumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.“

Alter est in Can.: *Nullus Episcopus de Consecrat. distinct. 1.* ex Synodo rom. sub Zacharia Papa cap. 13 et 14. ita statuens: „Nullus Episcopus, Presbyter aut Diaconus ad Solemnia Missarum celebranda praesumat cum baculo introire aut velato capite altari Dei assistere, quoniam, et Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia, et qui temere praesumpserit, communionem privetur. Cum vero ingressus fuerit Episcopus aut Presbyter ad Missarum solemniam celebranda, nisi passio aliqua intervenerit, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio Episcopo vel Presbytero Missarum solemniam suppleantur, sed qui initium ponit, suppleat usque in finem, quia scriptum est, qui perservaverit usque in finem hic salvus erit. Siquis vero praesumpserit, praeter quod posuimus, agere, a sacro

corpore et sanguine D. N. Jesu Christi sit suspensus.“

Ex binis hisce textibus duplex ad rem praesentem oritur quaestio: Prior nempe, an utraque poena excommunicationis et suspensionis a Divinis in iis alternatim contenta sit latae, uti dicitur, sententiae vel potius ferendae tantum? secunda vero, num poenae praedictae incurrantur tam ab eo, qui Missam relinquit imperfectam consecratione peracta, quam ab illo, qui ante istam sed post Offertorium ab altari discesserit?

Porro in d. Can.: *Nihil*, verba illa: *Siquis haec temerare praesumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit*, cum sint futuri temporis, non poenam latae sententiae sed ferendae tantum importare videntur, ut contra Archidiacon. in d. Can.: *Nihil*, et Diaz. in pract. crim. can. cap. 46. sentiunt Navarr. cap. 16. de orat. n. 58., et Miscellan. de orat. n. 86., *Sylvester* verbo: *Eucharistia* 2. quaest. 7.; *Azor* part. 1. lib. 10. cap. 32. quaest. 2., *Dicastill.* de Sacram. tract. 5. disp. 4. dub. 13. n. 252., *Pax Jordan.* lib. 1. lucubr. lib. 4. tit. 1. n. 339. et alii plures congesti per *Pasqualig.* de Sacrif. nov. leg. tract. 1. quaest. 189. n. 2., cumque in eodem Canone habeatur: *censuimus ergo convenire, ut cum a Sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si aegritudinis acciderit quilibet eventus, quo caeptum nequeat consecrationis expleri, mysterium, sit liberum Episcopo vel Presbytero alteri consecrationem exequi officii caepti*, inde colligi posse videtur, dispositionem huius canonis procedere tantum respectu Sacerdotis Sacrificium dimittentis post caeptam vel expletam consecrationem, secus vero ante illam, ut censet Card. Turrecremata scribens in dict. Canonem et Censuris tom. 2. disput. 11. cap. 3. per tot.